

§. 12. Nec negligenda *fortuna* exterior, cum gratuita sit opera illa, & privatis impensis sese verendum reddere ac gratiosum, alios quoque sibi ut faveant variè præsertim aureo hamo trahere debeat. Ipsi sane dissidentes, armis virisque ac fortuna tumidi, nisi apparatus dignitati personæ respondeat, dedignari amant, uti vel in ipso Carolo Superbo Angli male tunc consulti peccabant; quippe divitiæ hodiè in majori habentur pretio, quàm Virtus. *Aurum* enim, ut Horatius docet, *per medios transit satellites, perrumpit saxa*; alioquin splendorem officio per se illustri & arduo conciliare nequit.

§. 13. Non minimum quoque utilitatis accesserit, si talis Mediator uni alterique parti *cognitione junctus ac amicitia* esset. Fiducia enim in ipsum certa spectanda est, sine qua mediations sive rejici, sive in speciem admitti notum est. Itaque nec *peregrinus* tam commodè *conciliator partium* recipi poterit, præsertim cum & res litigiosa, ingenia ac status pristinus & præsens ei minus nota sint. Nedum ut ipse sese ambitiosè offerat: neminem enim se alienis & peregrinis rebus sine suspicione immiscere præsumitur. *Communes* quoque amici tum optimi, ut inter Fridericum Placidum, Electorem Saxoniae & Wilhelmum, Fratres, Brandenburgicus Marchio; Hassiæ Landgravius inter Mauritium & Johannem Fridericum Electorem Saxoniae. Eodem dignitas pertinet, *parne* statu, potentiâ, fortunâ, an secus, videatur? Tarentinis malè cessit, cum inter Romanos & Samnites comminando etiam pacem urgerent. Liv. Monitorem non fert, qui propè imperio in tertium sese dignum, certè comem sibi reverentiam deberi, existimat.

§. 14. Fides pacificatoris multum quoque augetur apud partes, si *religionis* ejusdem cum iis studiosus, vel & eminentis pietatis est: & hinc Clerici suo jure se infauti inter Christianos dissidii arbitros non immeritò profitentur. Ita Papa
D Roma